SOLENNIA

EXAMINIS PUBLICI VERNALIS

DIE IX. MENSIS APRILIS ANNI MDCCCXXXVIII

INDE AB HORA VIII MATUTINA ET II POMERIDIANA

IN

GYMNASIO CLAUSTHALIENSI

CELEBRANDA

OBSERVANTISSIME ET HUMANISSIME

INDICIT

HENRICUS JULIUS NIEDMANN

DIRECTOR.

INSUNT:

I. FASCICULUS OBSERVATIONUM CRITICARUM IN LUCIANI GALLUM. SCRIPSIT CAROLUS SCHAEDEL.

II. SCHULNACHRICHTEN.

CLAUSTHALIAE

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ADOLPHI SCHWEIGERI.

Luciani Samosatensis studium, quod post flagrantissimum ardorem, quo erat superiore aetate celebratum, per aliquod tempus a doctis hominibus leviter tantum attactum aut plane depositum esse videbatur *), recentioribus temporibus prosperrimo et laetissimo successu reviviscere coepisse non est quod multis exponam. Inter clarissimos autem eruditissimosque viros, qui dubiis vexatisque locis aut ad librorum manu scriptorum fidem recognoscendis aut ingenii ope corrigendis doctrinaeque copia explanandis operam suam Luciani scriptis nuper navaverunt, non ultimo loco nominandus est *Reinholdus Klotzius*, professor Lipsiensis, qui praeter alia, quibus de Luciano bene est meritus, etiam *Luciani Gallum sive Somnium* separatim edidit (Lipsiae 1831 octonis). Cujus elegantissimae editionis meritas laudes praedicare hic mihi non opus est, praesertim cum jam *C. F. Hermannus*, intelligentissimus hujus rei judex, bonum de ea honorificumque judicium fecerit multosque locos et ex codicum auctoritate et editoris doctrina atque acumine egregie

---

*) cfr. C. G. Jacob. praefat. ad Luciani Toxar. p. V. sqq.

restitutos in ea inveniri palam professus sit. *) Neque quemquam credo huic sententiae adversarium aut exstitisse aut exstiturum esse. Haud paucis enim in locis Klotzius, optimorum librorum praecipue Gorlicensis lectiones secutus, Luciani orationem felicissime constituit, alios acute et erudite explicuit. Jure igitur Klotzius suam editionem futuris editoribus exemplum proponit, ex quo quam saepe vulgatum quem dicunt textum Luciani secundum optimos codices emendari oporteat intelligant. **) Sunt tamen nonnulli illius opusculi Lucianei loci, in quibus etiam Klotzius, quippe praeclari Gorlicensis codicis manu scripti vestigia non persecutus, minus recte egisse et jam ante aliquot annos, cum primum ejus libellum perlegi, mihi visus est et etiamnunc videtur. Quorum partem etsi jam indicavit C. F. Hermannus, non tamen copiosius de iis disseruit ille. Quamobrem me spero operae pretium facturum, si hac scribendi opportunitate oblata illos locos denuo examinaverim, e quibus si unum saltem et alterum rectius tractasse judicibus aequis et legitimis, velut Klotzio ipsi vel *C. Jacobitzio*, doctissimo meritissimoque editori operum Luciani, visus fuero, operam non plane perdidisse me maximopere gaudebo.

De loco qui legitur *§. 2. p. 13, v. 11. Kl.* *καί τοι τί ἂν ἐποίησας, εἴ σοι ἡ τῆς Ἀργοῦς τρόπις ἐλάλησεν ὥσπερ ποτὲ ἡ φηγὸς ἐν Δωδώνῃ αὐτόφωνος ἐμαντεύσατο, ἢ εἰ κ. τ. λ.*, qui in codice Gorlicensi ita est exaratus

*) in Zimmermanni ephemer. scholast. 1832. II. n. 65.

**) in annal. philol. et paedagog. Lips. recentior. XIV. 2. p. 226. et in praefat. ad Luciani dialog. mortuor. Lips. 1833. p. VII.

καί τοι τί ἂν ἐποίησας, εἰ ἡ τῆς Ἀργοῦς τρόπις ἐλάλησεν ἢ Δωδώνη αὐτόφωνος ἐμαντεύσατο, epistolam ad R. Klotzium dedit *Mauritius Hauptius* *), qua Gorlicensis libri lectionem unice veram esse acute demonstravit. Cui cum jam Jacobitzius **) atque, ut videtur, ipse Klotzius ***) assensi sint, statim transeo ad *§. 3. p. 16, 4.* Ibi quae vulgo leguntur *ἄκουε τοίνυν· παραδοξότατόν σοι λόγον εὖ οἶδ' ὅτι λέγω, ὦ Μίκυλλε,* pro iis cod. Gorl. praebet *ἄκουε τοίνυν παραδοξότατόν σοι εὖ οἶδ' ὅτι λόγον,* quocum editio princeps Florentina aliqua ex parte consentit, vocabulum *λόγον* ante *εὖ οἶδ' ὅτι* omittens. Qui vero vulgatam lectionem servandam censuerit, debebit certe post vocabulum *τοίνυν* orationem majore distinctione interpungere, quod non factum in F. V. Fritzschii et Klotzii editionibus †), ut verbum *ἄκουε* absolute positum sit et accusativus *λόγον* ad verbum *λέγω* pertineat. Sed nulla causa obstat, cur optimi codicis lectionem rejiciamus; tantum enim abest, ut vulgatam meliorem ducamus, ut etiam praeferamus libri Gorlicensis lectionem, quae concinnior et vividior est

---

*) in supplement. annal. philol. et paedag. Lips. I. 4. p. 594. sq.

**) in additamentis animadversionum ad J. Minckwitzii interpretationem Luciani Germanicam tom. I. p. 489.

***) in annal. philol. et paedag. recent. XIV. 2. p. 227.

†) Ita etiam §. 1. *p.* 8, 6. in iisdem editionibus interpunctio major deest post *κέκραγεν,* qua tamen opus videtur esse, siquidem verba *ἀλλ' οὔτι χαίρων* (quibus tragicam quandam gravitatem et majestatem, quasi maxima et horrenda sutor gallo minetur, affectasse mihi videtur Lucianus) novam enuntiationem et apud poetas novum versum incipere solent. cfr. G. Hermann. ad Viger. p. 767. Elmsl. ad Aristoph. Acharn. 563. — Contra minorem pro majori distinctionem desidero §. 33. *p.* 84, 2., quia conjungenda sunt *ἀλλὰ νῦν μὲν — — ἀπίωμεν.*

quam illa. Et languidum istud *λέγω* post *εὖ οἶδ' ὅτι* huic loco obtrusum credo a librario, cui displicebant verba *εὖ οἶδ' ὅτι*, quum non habeant quod ab iis dependeat. Attamen is mos loquendi usitatissimus est non solum Luciani sed cujusvis fere Graeci scriptoris, ut *εὖ οἶδα, εὖ οἶδ' ὅτι, σάφ' οἶδ' ὅτι, εὖ οἶδ' ὅπως, οὐκ οἶδ' ὅπως, εὖ ἴσθι*, similia mediae orationi sic interserantur, ut aut omnino non adsit quod ab iis regatur, aut ea verba praecedant, quae ab illis regantur, cfr. §. 12. p. 41, 6. *φμην γὰρ τὸν Εὐκράτην — — οὐκ οἶδ' ὅπως ἀποθνήσκειν.* §. 15. p. 47, 3. *οἱ δ' εὖ ἴσθι πολὺ ὑμῶν ἀθλιώτερον βίον βιοῦσι.* Charon. §. 1. *ξεναγήσεις γάρ εὖ οἶδ' ὅτι με ξυμπερινοστῶν.* dial. mort. 17. §. 1. dial. deor. 7. §. 3. Timon. §. 45. ubi cfr. Jacobitz. Plato Apol. Socr. c. 27. p. 37. B. *ὧν εὖ οἶδ' ὅτι κακῶν ὄντων.* Id. Gorg. c. 41. p. 486. B. ubi cfr. Heindorf. Demosth. c. Conon. §. 2. p. 469. (Bekk.) *καὶ τούτου συγγνώμην ἕξετε εὖ οἶδ' ὅτι πάντες, ἐπειδὰν ἃ πέπονθ' ἀκούσητε.* Aristoph. Plut. 183. *μονώτατος γὰρ εἶ σὺ πάντων αἴτιος, καὶ τῶν κακῶν καὶ τῶν ἀγαθῶν, εὖ ἴσθ' ὅτι.* Ibid. v. 838. Nubb. v. 1175. Lysistr. 59. 154. 764. Sed quid opus est cumulare exempla hujus formulae notissimae, creberrimo usu tritae, a multis viris doctis jam explicatae? Vide si tanti est Jacob. ad Luciani Toxar. p. 84. p. 110. p. 128. Viger. p. 268. sq. Schaefer. melet. crit. p. 92. et ad Lamb. Bos. de ellips. Gr. p. 798. sq F. A. Wolf. ad Demosth. Leptin. p. 388. Heindorf. ad Platon. Gorg. p. 486. B. Matth. Gr. Gr. §. 624. p. 1269. Ellendt. lexic. Sophocl. s. v. *ὅτι* tom. II. p. 395. sq. s. v. *οἶδα* tom. II. p. 288. L. Dindorf. in Steph. Thes. L. Gr. tom. III. p. 201. edit. Paris. Hoc unum addere mihi liceat, in talibus non esse supervacaneam particulam *ὅτι*, ut visum J. Zehlickio de Sophocl. Antig. v. 2. disserenti

(cfr. Wex. ad Soph. Ant. tom. II. p. 67.), sed verbum aliquod semper et ubique cogitatione adhibendum, quod aut in antecedentibus sequentibusve est positum, aut ex aliqua enuntiati parte erui vel ex tota orationis serie facile colligi potest. Ceterum eadem ratione interponi alias quoque formulas, ut e constructione ceterorum verborum non sint aptae neque cum reliqua oratione cohaereant sed commode abesse possint, notissimum est, velut quae saepissime inveniuntur *οἶμαι*, *οἴει*, *οὐκ οἶμαι*, *οὐκ οἴει*, *πῶς οἴει*, *πῶς οἴεσθε*, cfr. Luc. Gall. §. 4. p. 21, 9. §. 11. p. 38, 9. Viger. p. 270. Heindorf. ad Platon. Theaetet. p. 147. A. Stallbaum. ad Platon. Polit. VI. p. 486. C. ad Hipp. maj. p. 290. B. ad Cratyl. p. 438. C. Fritzschii quaestionn. Lucian. p. 80. Hottinger. ad Theophrast. Charact. interpr. German. p. 386. sq. Ellendt. lexic. Sophocl. tom. II. p. 298. Ad idem genus pertinent *ὁρᾷς*, *ὁρᾶτε*, v. Heindorf. ad Plat. Protagor. p. 336. B. Jacob ad Lucian. Toxar. p. 122. Fritzschii quaest. Lucian. p. 96. Ellendt l. c. p. 343., porro *φησί* et *φασί*, v. Passovii Lexic. s. v. Ita quoque in Luciani Gallo §. 17. p. 51, 4. verba *μοι πρῶτον εἰπέ* (sic. Kl. e cod. Gorlic.) parenthetice sunt interposita. Quodsi igitur, ut ad propositum redeam, Lucianus eo modo, quo codex Gorlicensis locum exhibet, scribere poterat et fere solet scribere, equidem causam non esse puto, cur optimi libri auctoritate deserta et abolita deterior lectio recipiatur.

---

p. 4. p. 20, 2. Gallus postquam se nuper hominem fuisse dixit Pythagoraeque mentionem fecit, acerbe in hunc philosophum Micyllus invehitur et indignabundus haec verba emittit: *τὸν σοφιστὴν λέγεις, τὸν*

ἀλαζόνα, ὃς ἐνομοθέτει μήτε κρεῶν γεύεσθαι μήτε κυάμους ἐσθίειν, ἥδιστον ἐμοί γοῦν ὄψον ἐκτράπεζον ἀποφαίνων, ἔτι δὲ πείθων τοὺς ἀνθρώπους, ὡς πρὸ τοῦ Πυθαγόρου Εὔφορβος γένοιτο; γόητά φασι καὶ τερατουργὸν, ὦ ἀλεκτρυών. Sic non dubitavi hunc locum scribere secundum librum Gorlicensem, quem hic quoque unice sequendum esse existimo atque si potero argumentis demonstrabo. Particula *καί*, quam editiones habent post *ἔτι δέ*, saepissime quidem a Luciano ponitur post *ἔτι*, (h. l. *insuper, praeterea,* v. Jacobs. additam. animadv. ad Athen. p. 92. sq. Heindorf. ad Platon. Cratyl. p. 396. C.) attamen non ubique, atque plane ut in hoc loco *ἔτι δέ* praemittuntur participio apud Theophr. Charact. prooem. 2. *βεβιωκὼς ἔτη ἐνενήκοντα ἐννέα, ἔτι δὲ ὡμιληκὼς πολλαῖς φύσεσιν.* Sed haec res est levior. Quae vero leguntur in editionibus post *τοὺς ἀνθρώπους*, ea falsissima et ineptissima mihi videntur esse. Sic enim habent: *ἔτι δὲ καὶ πείθων τοὺς ἀνθρώπους, ἐς πέντε ἔτη μὴ διαλέγεσθαι;*

ΑΛΕΚΤΡ. Ἴσθι δῆτα κἀκεῖνο, ὡς πρὸ τοῦ Πυθαγόρου Εὔφορβος γένοιτο.
ΜΙΚ. Γόητά φασι καὶ τερατουργὸν τὸν ἄνθρωπον, ὦ ἀλεκτρυών.

Primum illud molestum est et parum conveniens, quod Micyllus, qui varia de Pythagora fando aut legendo comperta habeat, cum gravitate quadam a gallo edocetur, illum priusquam Pythagoras factus esset Euphorbum fuisse, quasi hoc sit reconditum et ultra sutoris scientiam progrediatur. Immo qui inferioris sortis homo ista de Pythagora cognoverat, fabarum et carnium usum ab eo esse prohibitum, ne illi multo minus haec res mirabilissima, quae in ore et sermone omnium erat, incognita esse poterat, ejus animam per varia corpora transmissam fuisse. Atque Micyllus omnino haud ignarum historiae Pythagorae

se ostendit, novit enim ejus patrem quoque et patriam (§. 4. p. 21, 1. et 3.) et Pythagoricorum quinquennale silentium (p. 21, 8.); idem Homerum suum legit Pindarumque. (§. 7. p. 29. §. 8. p. 31. §. 13. p. 43. §. 17. p. 51.) Deinde non intelligo, quomodo optativus *γένοιτο*, qui secundum codicis Gorlicensis lectionem aptissimus est, Micyllum dubitantem de hac re et incredulum significans, in vulgata lectione tolerari possit. Gallus dicere debebat *ἐγένετο*, quod minime inepte hoc loco, ut Lehmannus censet, conjecit Belinus, sed sine dubio inepta ratione adductus. Denique verba *ἐς πέντε ἔτη μὴ διαλέγεσθαι* aperte hic sunt inferta ex iis quae mox (p. 21, 9.) sequuntur: *ὁ δὲ σιωπᾶν ἐς πέντε ὅλα ἔτη οἶμαι παρῄνει.* Quod certo certius et luce clarius cuique erit, qui vocabulum *οἶμαι* ibi interpositum consideraverit; nam quo tandem modo fieri poterat, ut Micyllus eadem postea dubitanter efferret, quae antea certo et minime dubitanter elocutus erat? Itaque illa lectionis corruptio, quae in editionibus reperitur, facta mihi videtur esse a librario sciolo et nasutulo, qui jam hic statim omnem suam de Pythagora doctrinam effundere gestiret. Sententia autem totius loci, qualem liber Gorlicensis exhibet, aptissima est. Gallus: *Nostine Pythagoram quendam, Mnesarchi filium, Samo oriundum?* Micyllus: *Sophistam dicis illum, ventosum ostentatorem, qui legem ferens de carnibus non gustandis et fabis non edendis suavissimum mihi quidem obsonium de mensis removit, qui insuper persuasit hominibus, se ante Pythagoram Euphorbum fuisse? Praestigiatorem istum ajunt esse et falsarium, o galle.* Gallus: *Ille ipse vero ego tibi sum Pythagoras, quocirca desine mihi maledicere etc.* Videmus igitur sutorem Micyllum indigna-

tione quadam abreptum *) vehementer stomachari multaque convicia et opprobria uno et perpetuo et nunquam intermisso spiritus tenore in Pythagoram fundere, donec gallus eum interpellat et a maledictione dehortatur. Quod ipsum patrocinatur codicis Gorlicensis lectioni, vulgatam vero condemnandam arguit; gallum enim non statim, cum primum loqui inceperit, probra in se cumulata avertere sed potius novam conviciorum materiam irato Micyllo placide et tranquille suggerere ineptum est. Quod attinet ad verba *τὸν ἄνθρωπον* in extremo hoc loco, quae omissa sunt in cod. Gorl., haec ut ex scriptoris oratione expellantur facile opinor unusquisque concedet, qui hujus codicis praestantiam et fidem perspexerit.

---

§. 5. p. 24, 3. *Οὕτως ἀδελφὰ ἡγοῦμαι τὰ σὰ τοῖς ἡδίστοις φανεῖσι.* Gallo, qui vitarum suarum mutationes et vicissitudines narraturus est, dicit Micyllus: narra quaeso, haec enim audire aeque mihi erit jucundum atque illud perbeatum somnium iterum somniare, *adeo gemella arbitror quae narrabis jucundissimis visis* i. e. jucundissimo somnio, e quo subito galli cantu excitatus erat. Hoc loco vocabulum *ἡδίστοις* omissum est in codice Gorlicensi, quod quin commode et sine ullo sententiae dispendio abesse possit cum nemo dubitet, jam ideo hoc inutile librariorum glossema auctoritate praestantissimi codicis e verbis scriptoris exterminandum videtur. Sed accedit, quod etiam leges

*) Indignationis hujus causa nulla alia est Micyllo, nisi quod fabis et carnibus, quibus maxime ipse delectatur, interdixit Pythagoras suis discipulis et amicis.

Graeci sermonis parum observatae sunt. Nam cum Lucianus sine dubio id vellet exprimere: *narrationem tuam aeque gratam et jucundam existimo atque jucundissimas illas res, quae per somnum a me visae sunt*, ita hoc debebat dicere: ἀδελφὰ ἡγοῦμαι τὰ σὰ τοῖς φανεῖσιν ἡδίστοις aut τοῖς ἡδίστοις τοῖς φανεῖσιν. At τὰ ἥδιστα φανέντα potius significare *ea, quae jucundissima visa sunt*, neque vero *jucundissima quae visa sunt*, recte jam notavit C. F. Hermannus, de qua re quippe notissima fusius agere non est opus. *)

---

§. 8. p. 31, 7. Τὰ παρὰ τῷ Εὐκράτει πρότερον ὦ Μίκυλλε διήγησαι. Cod. Gorl. omittit πρότερον. Primo quidem adspectu apta et paene necessaria haec vox nobis videtur esse, quoniam Micyllum, *prius quam* ad narrationem somnii sui transeat, ut lautum divitis Eucratis convivium describat adhortetur gallus. Sed diligentius si locum consideraveris, parum aptam nedum necessariam reperies. Non enim utrumque Micyllus vult narrare, ita ut primum de somnio deinde de convivio acturus sit, quod si vellet, recte gallus ei suadere posset, ut inverso ordine has res exponens primum de convivio deinde vero de somnio loquatur: sed silentio convivium illud praeteriens statim ad eorum quae

---

*) ἀδελφός i. q. ὁμοιότατος cum dativo casu rarius construitur, cfr. Rueckert. ad Platon. conviv. p. 210. B., saepissime vero c. genitivo, cfr. intpp. ad Gregor. Cor. p. 569. (Lips.) Stallbaum. ad Platon. Phaedon. p. 108. B. Matth. Gr. Gr. §. 386, 5. p. 708. Stephan. thes. L. Gr. s. v. tom. I. p. 634. Paris. Cum dativo conjunctum habet etiam Sophocl. Oed. Col. v. 1258. (ubi cfr. Reisig. in enarr.), idem vero c. genit. Antig. 192.

in somnis cernere se meminit narrationem est accessurus. Quod ex iis quae adhortanti gallo respondet clarissime apparet. *Putabam* ait *molestum tibi me futurum, si etiam haec enarrarem.* Neque gallum ipsum fugit, Micyllum ea silentio praetermittere velle, nam excitare studet eum et compellere ad hanc narrationem incitamento coenae illius memoriter tamquam ruminando retractandae atque ita iterum quasi obeundae adhibito. Ineptum igitur fuisset, si gallus adhortationi suae illud *prius* addidisset, cum aperte nulla sit optio et praepositio alterius rei prae altera; quam ineptiam feliciter removet egregius Gorlicensis codex.

---

§. 9. p. 35, 1. Cum ad sententiam fortasse non minus bene et recte ἀναστρέψας τὸ τριβώνιον i. e. *invertens pallium* secundum codicem Gorlicensem legi possit, quam ἀντιστρέψας, quae est vulgata lectio, hoc quoque loco ab auctoritate praestantissimi codicis non recedendum est. Summam constat in praepositionibus inter se confundendis esse librariorum inconstantiam et licentiam, qua de re cfr. epimetrum in Walzii epist. crit. ad Boissonad. p. 56—76., qui de permutatione particularum ἀνά et ἀντί testem citat Jacobs. ad Philostr. imagg. p. 334. Haec ipsa vero de quibus hic agimus vocabula ἀναστρέφω et ἀντιστρέφω confusa sunt in Lucian. dial. deor. 8, 1., ubi cod. Guelferbyt. ἀντιστρέφουσιν praebet, ceteri ἀναστρέφουσιν.

---

§. 15. p. 47, 3. Pro iis quae vulgo scribuntur πολὺ ἀθλιώτερον ὑμῶν τὸν βίον βιοῖσι codex Gorlicensis exhibet πολὺ ὑμῶν ἀθλιώτερον βίον

βιοῦσι. Ex his R. Klotzius novam lectionem confinxit πολὺ ὑμῶν ἀθλιώτερον τὸν βίον βιοῦσι, nulla codicum manu scriptorum auctoritate fultam et firmatam, sed partim e Gorlicensi partim e ceteris libris conflatam. Quo nomine Klotzium ἐκλεκτικόν in critica arte factitanda jam C. F. Hermannus notavit atque aut Gorlicensis, quod sane optimum erat, aut ceterorum librorum lectionem integram et incorruptam recipiendam fuisse demonstravit. Articulus τὸν autem a grammaticis additus videtur esse, qui has loquendi formulas βίον βιοῦν s. βιῶναι, βίον ζῆν, βίον διατελεῖν, βίον διέρχεσθαι, similia plerumque adjecto articulo reperiri scirent. Exempla vide in Steph. Thes. L. Gr. s. v. βίος tom. II. p. 253. (Paris). Sed etiam non addito articulo βίον βιοῦν dici posse, praesertim cum adjectivum accesserit, per se patet. — Eadem pagina *v. 12.* cum editores ante Fritzschium scripserint προάγεις γάρ με λοιδορεῖσθαί σοι, Fritzschius ex optimis codicibus medium προάγῃ recepit, atque eum secutus est Klotzius. Cum vero codex Gorlicensis Atticam formam προάγει praebeat, hanc servandam fuisse judicat idem qui modo nominandus erat eruditissimus vir, C. F. Hermannus. Ita etiam reliquorum librorum varians lectio προάγεις quomodo oriri potuerit facilius perspicitur.

---

§. 16. p. 48, 4. sqq. De hoc loco, qui in codice Gorlicensi omissis pluribus verbis aliquantum decurtatus invenitur, tam prudenter et considerate in annotatione ad h. l. egit R. Klotzius, ut toti quaestioni abunde satisfactum esse videatur et ego vix quod adjiciam habeam. Tamen ea, quae ad condemnanda illa verba in Gorlicensi omissa Klotzius dixit, tam gravia et luculenta, quae vero ea defensurus protulit leviora et

tam parvi momenti esse mihi videntur, ut totum locum plane ex auctoritate optimi libri typis exarandum fuisse mihi persuasum sit. Nam quod inter alia dicit Klotzius, hoc loco causam apparere, cur librarius illa verba potuerit omittere, cum similes literae his in sententiis essent, *τίς ἦν* et *τίς οὖν ἦν* atque *ὥσπερ σύ* et *εἰδέναι σύ*, huic observationi, licet per se et in aliis locis verissima sit, tamen hic non multum equidem tribuo neque quemquam credo multum tributurum, qui locum accuratius inspexerit. Haec enim literarum similitudo, si librario fraudi fuisset, nihil aliud efficere poterat, quam ut propter prius *τίς ἦν* omitterentur verba quae sequuntur usque ad posterius *τίς οὖν ἦν*, aberrantibus librarii oculis ab altero ad alterum *ἦν*, aut eadem ratione ut propter *ὥσπερ σύ* omitterentur omnia, quae inter hoc et alterum *σύ* locum habent. Deinde quod et hoc loco et p. 87. Klotzius de fide librorum vel optimorum, etiam Gorlicensis, in omittendis verbis saepius dubitandum esse arbitratur, in universum quidem id verum est atque nullus omnino liber tam bonus exstat, quin hic illic falsa et corrupta et absurda subministret; attamen etiam infra Gorlicensis fidem defendere conabor.

---

§. 17. p. 51, 7. *Πόθεν ἐκεῖνος ἠπίστατο ὦ Μίκυλλε, ὃς γιγνομένων ἐκείνων κάμηλος ἐν Βάκτροις ἦν;* Codex Gorlicensis legit *ὃς γινομένων κάμηλος κ. τ. λ.*, indicante R. Klotzio in addendis, quae in extremo libello leguntur. Qui si hanc lectionem jam tum, cum hunc locum typis exarandum curabat, enotatam habuisset, non dubito quin eadem ratione *γινομένων*, non *γιγνομένων*, hic scripsisset, qua §. 24. p. 69, 4. scripsit *συνεγίνωσκον* et §. 25. p. 71, 11. *ἐγγίνεται*, ubi cfr. quae annotavit. Sed

vocabulum ἐκείνων itidem in cod. Gorlic. praetermissum, etsi probe scio genitivum absolutum participii haud raro sic nude poni nomine aut pronomine non addito, (v. Matth. Gr. Gr. §. 563. p. 1110. sq. Thiersch. Gr. Gr. §. 258. p. 448.) tamen hoc loco excidisse videtur incuria et errore librarii, quia proxime idem vocabulum ἐκεῖνος praecedit.

---

§. 22. p. 62, 11. *Κἂν σοι δοκῇ, κατεχαλάζησας αὐτῶν ἀφθόνους τοὺς λίθους ἢ τὰς οὐσίας αὐτῶν ἐδήμευσας.* Codex Gorlicensis omittit alterum *αὐτῶν*, ac jure credo, cum non sit necessarium, immo paene molestum, quoniam brevissimo spatio interjecto *αὐτῶν* praecedit, quod eo facilius ad *τὰς οὐσίας* quoque refertur, quia verbis *ἀφθόνους τοὺς λίθους* praepositum est. Sed quod mox sequitur *αὐτός* in his verbis *οὔτε δὲ συκοφάντην δέδιας αὐτὸς οὔτε λῃστήν*, pariter in codice Gorlicensi praetermissum, id ad sententiam loci aptum et elegans acute defendit Klotzius, ut non assentiar C. F. Hermanno etiam hoc inducendum esse censente, sed errore librarii id excidisse mihi videatur.

---

§. 23. p. 65, 8. Gallus domini Micylli sortem felicissimam praedicans divites et illustres homines comparat cum Icaro, quia, cum in altum se sustulerint et ad solem quasi appropinquarint, ignari e cera sibi alas compositas esse, subito praecipites cum magno strepitu in mare decidant. Contra qui Daedali exemplo non altiora petant sed terrae vicinos se teneant, ut alarum cera nonnunquam maris undis alluatur, hos dicit ex omnibus fere periculis salvos et incolumes evadere. In extremo hoc loco omittit codex Gorlicensis verba *ὡς νοτίζεσθαι ἐνίοτε τῇ*

ἁλμῇ τὸν κηρόν, *ut adspergatur nonnunquam salsis fluctibus cera.* Quae licet per se Luciani lactea ubertate et dulci elegantia haud indigna sint, tamen ab aliquo otioso homine addi facile potuisse ideoque probabiliter e scriptoris oratione ejicienda fuisse C. F. Hermannus existimat, cujus sententia fortasse etiam eo confirmari possit, quod illa verba cum Daedali historia, ut a ceteris scriptoribus fere narratur, parum congruere videantur. Notum est enim, plerumque ita hanc fabulam tradi, Icarum admonitum esse a patre Daedalo, ut ne altius evolaret, tunc enim cereas alas solis radios liquefacturos esse, neve demissius volatu ferretur, quia tunc montium turriumque cacuminibus allidi vel etiam alae maris fluctibus madidae inutilesque ad volandum reddi possent, sed ut medio iret tutissimus. Sic Ovidius Art. Amat. II. 57. sqq.

Me pennis sectare datis, ego praevius ibo,
    Sit tua cura sequi, me duce tutus eris.
Nam sive aetherias vicino sole per auras
    Ibimus, impatiens cera caloris erit;
Sive humiles propiore freto jactabimus alas,
    Mobilis aequoreis penna madescet aquis.
Inter utrumque vola.

Idem Metam. VIII. 203. sq.

Instruit et natum medioque ut limite curras
Icare ait moneo, ne, si demissior ibis,
Unda gravet pennas, si celsior, ignis adurat.
Inter utrumque vola.

Seneca tragicus Hercul. Oet. v. 683. sq.

Medium coeli dum sulcat iter
Tenuit Latias Daedalus oras
Nullique dedit nomina ponto.

Silius Italic. XII. 94. sq.

Suspensum hic librans media inter nubila corpus
Enavit superosque novus conterruit ales.
Natum etiam docuit falsae sub imagine plumae
Attentare vias volucrum.

Quae cum ita sint, illa verba possit fortasse quispiam conjicere parvae fidei esse et subditicia, à Luciano, mythicarum fabularum peritissimo, nequaquam profecta, sed inserta potius a grammatico, qui oppositionem inter superbos elatosque divites et modestos demissosque pauperes factam magis etiam exaggerare et ad amussim exigere vellet. Sed plura sunt, quae huic conjecturae obstent. Nam longe ante Luciani tempora fabulam illam de Daedalo hoc modo conformatam esse, quo modo Lucianus eam commemorat, testis est locus Diodori Siculi e libro IV. c. 77, ubi narratum est, *αὐτὸν (Δαίδαλον) παρὰ τὴν θάλασσαν πετώμενον καὶ παρ̕ ἕκαστον τέγγοντα τὰς πτέρυγας διασωθῆναι παραδόξως.* Deinde etiamsi codicem Gorlicensem secuti illa verba ejiceremus, tamen reliqua *ὅσοι κατὰ τὸν Δαίδαλον μὴ πάνυ μετέωρα μηδὲ ὑψηλὰ ἐφρόνησαν ἀλλὰ πρόςγεια* ab usitatiore hujus fabulae ratione discrepant. Denique ipsa illa verba *ὡς νοτίζεσθαι ἐνίοτε τῇ ἅλμῃ τὸν κηρόν*, si delectum vocabulorum totamque orationis habitudinem spectas, minime ita, ut ab interpolatore ea efficta esse persuadere mihi possim, comparata sunt, sed eleganti Luciani stilo dignis-

sima mihi certe videntur. Qui igitur Gorlicensem codicem scripsit librarius hoc loco errore oculorum a priore ὡς ad alterum quod sequitur, ὡς τὸ πολὺ οὗτοι ἀσφαλῶς διέπτησαν, omissis mediis delapsus est. Atque ita cum sine dubio etiam Reinholdus Klotzius de hoc loco sentiret, intacta non solum in scriptoris oratione illa verba recte et caute reliquit, sed etiam in annotationibus nihil contra ea protulit. Et ego quoque silentio hunc locum praeteriissem aut certe tam multa verba non fecissem, nisi C. F. Hermannum, virum eruditissimum et gravissimum, in eam vidissem sententiam inclinare, ut locum de interpolatione suspectum secundum codicis Gorlicensis auctoritatem immutandum judicaret.

---

§. 29. p. 81, 3. Τίς οὗτος; ὁρῶ σέ γε, ὦ τοιχωρύχε; Haec verba edit Simo opulentus, qui etiam noctu anxius de divitiis suis somnoque privatus per totam domum circumagitur subitoque furem se cernere opinatur. Sed codex Gorlicensis omittit voculas γε ὦ. Rectissime. Nam cur tandem hoc loco σέ pronomen restrictiva particula γέ distinguatur? Nulla omnino vis est in pronomine. Hanc autem particulam γέ constat librarios male saepe invexisse saepe omisisse, cfr. Hermann. ad Aristoph. nubb. 399. Porson. ad Eurip. Phoenn. 1366. Fritzschius ad Lucian. diall. deorr. 7, 1. Deinde etiam ὦ hic parum aptum est, nam id deesse solere, si quis minaciter aut concitatius loquatur, pariter notum nunc est et exploratum. Quae de hac omissione particulae ὦ ante vocativum casum H. J. Urbanus, dilectissimus collega, in programmate nostri gymnasii a. 1836. p. 6. dixit, iis nunc addo Bornemann. ad Xenoph. sympos. p. 145. sq. Hermann. ad Soph. Oed. Col. 1350. Klotz. ad Lu-

cian. dial. mort. 14, 9. Stallbaum. ad Plat. Lachet. p. 69. Winckelmann. ad Plat. Euthyd. p. 89. Ellendt. lex. Sophocl. s. v. ὦ tom. II. p. 987. sq. qui Bernhardyum in Synt. Gr. p. 70. not. 14. parum recte de ὦ omisso statuentem bene confutavit, Lobeck. ad Soph. Ajac. v. 1053. (edit. sec.) G. Sauppium in Zimmermanni ephemer. antiqu. literar. a. 1836. nr. 13. p. 107. Eodem jure igitur, quo R. Klotzius aliis locis istud ὦ codice Gorlicensi auctore expunxit, (velut §. 1. p. 7, 1. §. 19. p. 58, 4.) etiam hoc loco ejicere debebat. Sic quoque quod mox sequitur (p. 82, 1.) *ληστεύομαι ὁ δυστυχής*, ubi codex Gorlicensis articulum ὁ non habet, *despolior ego qui miser sum*, gravius mihi videtur esse quam pro ejus loci ratione. Cfr. Sophocl. Oed. Col. 848. *ἀφέλκομαι δύστηνος*.

---

§. 33. p. 83, 15. *Λιμῷ ἀπολοίμην πρότερον, ἢ τοιοῦτόν τι πείσωμαι.* Ultima quattuor verba non solum uncis includenda sed radicitus resecanda erant. Duo enim libri manu scripti, inter hos Gorlicensis, ea omittunt, et interpolatoris manum ipsa aperte indicant. Laudandus igitur est Lud. de Sinner, qui e textu quem dicunt illa ejecit. Klotzius quamquam cum Fritzschio pro adulterinis ea habet, tamen in textu uncis quidem circumscripta retinuit, de libri Gorlicensis in omittendis verbis fide dubitari posse arbitratus. Quod equidem, certe de hoc Luciani libello, pace viri doctissimi praefracte negaverim. Nam quotquot loci reperiuntur, in quibus Gorlicensis liber aut unum verbum aut plura omittit, in iis omnibus eximium codicem, semper glossematis immunem, aut Klotzius ipse sequi se oportere ratus est aut oportuisse eum

sequi nos quantum potuimus probare sumus conati aut denique praetermissionis causa tam aperta est, ut fides et auctoritas codicis nullo modo ea labefactetur aut suspecta reddatur. Quo ex genere nonnulla jam in iis, quae hactenus exposui, commemorata sunt, alia quaedam nunc afferam. Sic §. 12. pag. 43, 1. *ὡς* excidisse credo propter similem terminationem vocabuli proxime praecedentis; §. 22. p. 62, 6. *καὶ ἀγῶνας* omisit librarius ab altero ad alterum *καί* aberrans; §. 26. p. 73, 5. plura verba desunt, quia totum versum exempli, quod describebat, legendo transsiluit librarius; ibid. v. 9. *τῆς* omisit, facili lapsu, ob praecedentia *τῆς τομῆς*. Neque omnino in codice Gorlicensi quaecunque sine sententiae damno abesse possunt deleta semper animadvertimus, qui mos erat atque etiamnunc est criticorum quorundam perversissimus; immo multa a recentioribus Luciani editoribus et a Klotzio ipso partim ex illo solo partim ex ejus paucorumque aliorum bonorum librorum consensu primum in orationis Lucianeae seriem recepta sunt. Cujus rei exempla cumulare longum est. Accedit quod etiam aliis rebus sinceram fidem integritatemque liber Gorlicensis praestat. Quodsi enim grammatico alicui is liber originem aut condicionem et formam suam deberet, inepta, aperte falsa, monstra lectionum nusquam in eo inveniremus, qualia deprehunduntur §. 17. p. 50, 6. *ἄχριος* pro *ἄχρι δή*, §. 19. p. 57, 8. *ὤπηεν* pro *ὤπυιεν*, §. 22. p. 62, 9. *κατεκχαλάζησας ἐς* pro *κατεχαλάζησας*, ibid. p. 63, 1. *διορέξας* pro *διορύξας*, §. 24. p. 69, 3. *τοῖς ἀγνοίας* pro *τῆς ἀγνοίας*, *) §. 26. p. 74, 12. *παιδός* pro *ποδός*. Jure igitur librum

*) Eadem paragrapho 24. et proxima 25. quasi praeteriens moneo in editionibus non solum Lehmanni sed etiam Fritzschii et Klotzii (alias inspicere nunc non

Gorlicensem colligere licebit scriptum esse ab homine non docto quidem et erudito, quippe qui facile errores illos et menda evitasset, sed diligentissimo eodemque religiosissimo, qui etiam ubi verborum quae scribebat vim et sententiam non intellexerat tamen archetypi menda fideliter transscribere quam mendose emendare mallet. Quodsi autem vera sunt, quae modo disputavi, eo majorem patet esse fidem et auctoritatem codicis Gorlicensis neque indignum hunc librum, de quo talia praedicentur, qualia legimus apud Fritzschium in quaestionn. Luciann. p. XXVII. et apud C. F. Hermannum in Zimmermanni ephemer. scholast. a. 1831. nr. 91. p. 723., Gorlicensem praestare ceteris omnibus Luciani codicibus manu scriptis, ejusque lectiones tantum non ubique in textum esse recipiendas. Et unusquisque cum Klotzio consentiet, ceteris Luciani libris, praecipue Parisinis 2955. et 3011., majore diligentia quam adhuc factum collatis, magis etiam hujus libri auctoritatem et praestantiam cognitum iri censente p. 16. sq. p. 21. p. 23. p. 37.

---

potui) nomen appellativum κολοσσός perperam exaratum esse initiali litera unciali quam vocant.